

2. N. 541, 46.

II 6

31.

X 1864152

II f
1259

I. N. J.
DE

OSCULLIS,

PRÆSIDE

D. PAULO FRANCISCO ROMANO,

PUBLICÈ DISPUTABIT

TIMOTHEUS RITZSCHUS, LIPSIENSIS,

IN AUDITORIO JCTORUM,

PROPRID. CAL. MAJI.

A. O. R. M. DC. LXIV.

LIPSIÆ,

LITERIS PARENTIS, TIMOTHEI RITZSCHII.





JESU FAVENTE!

De

OSCULIS.

§. 1.

Quid sit osculum & quibus modis fiat.



Osculum *Varroni l. 5. de L. L.* ab ORE diminutivum est. Non inconcinnè. Est enim osculum nihil aliud, quam oris contracti ad certum objectum applicatio, ut hoc modo gustemus quasi & delibemus suavitatem, quam objecto inesse credimus. Nos Germani significanter ad Latinum, ein Mäulgen/ad sonum verò, qui unà editur, perquam accommodatè, ein Schmässen. Ac ista quidem applicatio non unò modo perficitur. Namque alia fit immediatè, alia mediante manu. Immediatè fit, (quæ etiam est propriè osculi nomine censenda) cum nihil inter os nostrum & objectum relinquitur intermedii, sed unum ab alterò reverà contingitur. Rursus, quam mediante manu fieri dicimus, ea est in duplici differentiâ. Namque manum vel statim ac objectum ea tetigit, aut versus illud porrecta fuit, ad os reportamus & suaviamur, vel suaviatam ab ore ad objectas res, etiam si longè remotas, porrigimus, sicq; osculum velut projicimus. Primam propriè vult esse *Lipsius in Elect. lib. 2. cap. 6.* & ab ipsò gestu dici adorationem; alteram gestum esse novimus amantium ergà desideratas amicas.

§. 2.

Osculorum divisio.

Cæterum cuicumque os ita suaviter admovemus, de illò nos semper ferè significamus majorem habere opinionem,

A 2

vel

4
DISPUTATIO
vel certè habere debere, quàm de aliis habemus, & quàm
vulgò habetur, sive eximiæ cujusdam voluptatis, quam inde
nobis pollicemur, sive singularis, quò quis nobis se probavit,
meriti, sive potestatis dignitatisvè, quam aliquem sustinere
(& præcipuè nostri gratiâ) animadvertimus. Possumus hinc
à causâ, quâ ad osculationem movemur, tria osculorum ge-
nera constituere, primum Amoris & Desiderii ob volupta-
tem; alterum Benevolentiaë ob merita; tertium Reverentiaë
vel Officii ob amplitudinem & excellentiam. Patet autem,
illud exhiberi inter æquales; istud adversus inferiores; hoc
erga superiores. Ita tamen, ut nihil obstet, uni eidemque
personæ aliud atq; aliud tribuere, pro diversò respectu, quem
ad illam habemus. Sic v. g. Princeps dat fœminæ plebejæ
modò benevolentiaë, modò amoris osculum. Benevolentiaë
quidem ex personâ, quâ princeps & supremus est in civitate;
amoris verò ex eâ, quam cum cæteris omnibus gerit commu-
nem & æqualem. Dictis tribus generibus si quartum adjece-
rimus, quò ex more aut institutò quòdam variis de causis, im-
primis solennitatis alicujus gratiâ utimur, videbimur totam
osculorum rationem summis capitibus comprehendisse.
Quæ licèt olim *Donatus in Eunuch. act. 2. sc. 3.* singula propriis di-
stingvi nominib; annotavit, & ea, quæ fiant ex officio, propriè
Oscula; quæ expudicò affectu, Basia; quæ ex libidine, Svavia
vocari. Attamen ut taceam non esse summa genera nomina-
ta omnia, rarissimè discrimen inter illa vocabula positum
servari deprehendimus. Nos juxta distinctionem, quam ipsi
tradidimus, nunc procedemus in exponendò justò, quod
circa oscula tenetur, & in evolvendis effectibus, quos unum
quodque in jure genus producit: eò ordine, ut primò locò
Reverentiaë; secundò Benevolentiaë; tertio Amoris & Desi-
derii; quartò denique Moris & Solennitatis oscula profe-
quamur.

I. OSCULA REVERENTIAË.

§. 3. Quid

§. 3.

Quid sit osculum Reverentiæ.

Osculum REVERENTIÆ est, quod damus omni superiori ex cultu & observantiâ, quam ejus Dignitativè beneficiis debemus, interdum ut nobis conciliemus potenti benignitatem & gratiam, interdum ut pium testemur erga benefactorem animum, interdum etiam non aliâ de causâ, quam quia mos ita aut institutum jubet. Nempe per superiores hîc intelligimus non tantum illos, qui imperiô & autoritate, sed etiam, qui sola existimatione hominum excellunt. Adeoq; huc referendi sunt Dii, Sacerdotes, Principes, eorumq; eminentiores, Ministri, Domini, Patroni, Parentes, nam hos cunctos aliqua apud gentes moratiores manet reverentia.

§. 4.

Osculationes Gentilium in divinô cultu

Apud gentiles nefas fuit Deos sine osculis accedere, quos triplicem in hoc cultu ritum adhibuisse docet *Lipsius lib. 2. Elect. cap. 6.* Primò simulacris applicuerunt ipsa ora illorum modò labiis, modò manibus, modò pedibus advoluti. Quæ ratio Deos exosculandi simplicissima extitit: altera, quæ sequitur, magis superstitiosa & quæsitioris cultus. Nam quoniam plerisque religio fuit, Deos ipsos ore profanò suò tangere, proindè capite submissò eminus constitui manum verso signum protenderunt, mox, primore digito in erectum pollicem residente, reverenter ad eos relatam svaviati sunt. Hic habitus receptissimus & velut solennis adorantium fuit, (unde etiam adorare *Lipso* esse quasi manum ad os admove *§. 1.* diximus) non solum in veneratione Deorum, sed etiam apud Orientales in cultu Astrorum observatus, prout apparet ex sacrâ historiâ *Jobi XXXI. vers. 26. 27. ibi:* Si vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & osculatus sum manum meam ore meò, i. e. uti *Hieronymus in Apol. ad Rufin.* explicat si Solem aut Lunam adoravi. Tertiò denique cum

essent res angustæ peculiarem cultum dicam, an superstitionem ex osculis instituerunt. Si quidem Deorum templis illati, aras, postes, & limina in terram abjecti osculis & lachrymis & crinibus effusis compleverunt.

§. 5.

Osculationes Pontificiorum in Divinô cultu.

Nos in Divinô cultu osculationes hodiè nescimus. At verò Pontificii sicut multos ab Ethnicis ritus mutuò sumserunt, ita etiamnum osculandi morum non omittunt in venerandis Sanctis & Reliquiis, non sine notâ idololatriæ, quam apud Orthodoxos subeunt. Quò pertinet quoque, cum peractis ac finitis sacris in celebratione Missæ Reliquiarum partem aut crucem, aut etiam Agnum Dei circumferunt magnâ cum devotione populo osculandum, Germ. vocant, *das Pacem Küssen*. Quâ de re paulò latius infra in Osculis solennitatis. Interim videri potest *Stuck. lib. 2. Antiquit. Convival. cap. 32.* Mentio quoque ejus fit ab Innocentio in *can. pacem. 9. de Consecrat. distinct. 2. add. Rittershus. in disput. de Osculis. Sect. 16.*

§. 6.

Oscula Sacerdotibus, imprimis Pontifici exhibenda.

Ut Deos osculis, sic eorum quoque ministros sacerdotes venerari fas Ethnicis judicârunt. Ac cæteros quidem communiter in manibus, Romanos verò Pontifices, qui in templis propè januam lecticam ad hanc rem præparatam habuerunt, etiam in pedibus hæc recepisse reverentiæ symbola, tradit *Polydor. Virgilius libr. 4. de inventor. rerum. cap. 13.* Quam latriam sibi Pontificios iterum à gentilibus assumisise, Idem actor est *d. l.* Sanè & sacerdotes eorum in genere dexteram manum averfam adeuntibus religiosè osculandâ porrigunt, & Maximus Sacerdotum Papa, uti omnes norunt, pedes soccum auratum & distinctâ multis gemmis cruce indutos ad idem servitii genus exponit. Tantò fastu, ut huc procumbere non modò

modò clericum suum aut vulgares personas, sed omnes omnino accedentes subigat, summos Principes quoque & Reges, quin ipsum Imperatorem. Statutum super hoc cultu vide in *Ceremoniali Romanae Ecclesiae lib. 2. cap. 3.* Ubi duo imprimis notanda sunt, ratio istius servitii, & nonnullorum ab eo immunitas. Faciendam esse reverentiam Pontificis pedibus constituitur in honorẽ Salvatoris nostri, cujus ille vices in terris gerat. Verùm neq; hic Vicariatus unquam ei concedendus est, (ubi enim demendatio?) neq; propter illum potest tantum postulari, utpote cum ipse Dominus nunquam tale sibi arrogaverit, multò minùs igitur Vicario decens aut integrum hoc audere. Immunes autem meritò miramur ab osculo pedum pronunciatos esse Cardinales, iisque concessum, ut dexteram manum sub auriphrigiò pluviali ore excipiant, atque etiam Episcopos non infra genu ad osculum admitti, cum tamen præter manum infimum quoque pedem venerandi necessitas imponatur summis Principibus & ipsi Imperatori, qui optimò jure sunt, utpote à Supremò Numine sic appellati, Vicaria in gubernandis terris Numina. Non minori admirationi sunt Principes, qui hoc sibi persvaderi passi sunt, ut & in literis oscula pedum Papæ deferant solenniter, & coràm vilissimum ac fædum ministerium promptè exsequantur. In utroque Imperatores nostri exemplo sunt. Nam de oblatione osculi in literis testantur monumenta, eamque jam indè à Ludovici Bavari temporibus in usu fuisse, *Bodinus lib. 1. de republ. cap. 9.* Reipsâ autem ministerium præstitit Carolus V. pedibus Clementis VII. cum imperio inauguraretur, Anno 1530. vid. *Paul. Jovius lib. 27. histor.* Iterum Pauli III. cum ex Africâ reversus esset. Cujus facti monumentum in Castello S. Angeli positum est, in quo Cæsaris demissioni acerbè insultatum legitur, vid. *Platin. in vit. Pauli III.* Imperatori nostro, ne Galli habeant, quod obtrecent, addimus existã gente Carolum IX. qui 36. annis ante Carolum nostrum Romæ tantum non dominator

ad

ad pedes Alexandri VI. item Franciscum I. qui in Henrici filii nuptiis cum Catharinâ Medicâ tribus annis post Carolum ad pedes Clementis VII. adorabundus spectatus traditur à *Jovio lib. 3. § 1. 31. histor.* Hi rectè, an secus in conscientiâ fecerint hujus loci non est disputare. Certè majestatem, quâ à Deo erant præditi, temerè prodiderunt. Quantò generosius ac laudabilius Bulionum & Wirtenbergensium Duces, quos constantissimè pedum servitium recusasse vel ipsi adversarii prædicant, vid. *Bodinus d. l.*

§. 7.

Oscula & eorum jus in cultu Principis.

Porro Terrestrium quoque Deorum sive Principum cultus non minima pars in osculis & olim & hodiè sita fuit. Videntur autè Imperatores Romani fuisse hâc in parte præ cæteris ambitiosi, qui oralem venerationem & studiosè à civibus exegerunt, & quàm reverentissimè voluerunt fieri. Communiter quidem vulgò genua, nobilibus dextram osculandam eos præbuisse scribit *Polyd. Virgilius lib. 4. cap. 13.* At C. Caligulam plerisq; etiam Senatorum & Consulum pedem adorandum, aut reipsâ quoq; osculo delibandum porrexisse, *Lips. lib. 2. Elect. cap. 6. ex Dione docet.* Diocletianus adeuntes edictò jussit adorare pedes suos, calceamenta, ut dignitatem iis inderet, gemmis exornans, *Eutrop. lib. 9.* Reliqui Principes contenti erant, ut ipsorum adoraretur purpura. Quod fiebat, cum tactâ purpurâ manus ad osculum referebatur, id enim adorare esse, §. 4. diximus & à *Plinio lib. 28. cap. 2.* discimus. Ad eam tamen non omnes promiscuè admittebantur; imò maximus ille honor erat, jus adorandæ purpuræ consequi, non nisi nobilioribus & eximiè meritis ministris concessus. *vid. l. 6. C. de Advocat. divers. judic. l. 2. Cod. de Fabricens. l. 1. C. de prepos. sacr. cubicul. l. un. Cod. de comit. & tribun. schol. l. 1. C. de silentiar. l. 1. de apparitor. pref. pret. l. 1. C. de apparit. pref. urb.* Sic inter ipsorum Consulum prærogativas jus venerandi sacram purpuram refertur

fertur in *l. 4. de consulib.* Et nefas existimatum fuit, servos licentiâ contrectandi purpuram uti, *l. 7. Cod. qvi milit. poss.* Sanè etiamnum hodiè moris est, ut Magnates ad venerationem manus recipiant solos digniores, & quibus singulariter cupiunt, vulgò & humilioribus remotis. Cæterum oscula, quæ Principes à subditis adorati acceperunt, quòd fierent manu extremis labris admotâ, propriè vocata esse Labrata à labro, sicut osculum ab ore, notat *Gotthofred. ad l. 1. C. de apparit. præfect. urb.*

§. 8.

Oscula Ministris Principum data.

Sed & eminentiores Principum Officiarios non prætermissum est osculis prosequi. Sic Præfectum Prætorio, cum esset palatium ingressus, debuisse consuetudine Imperatoriâ adorari, refert *Cassiodor. 6. Variar. 3.* Quos tamen similiter ac Imperatores, contingere vulgo non licuit, sed qui peculiari privilegiò ad hoc gaudebant. Atque hinc constitutio in *l. 1. C. de domest. & protector.* ubi *Valentinianus & Valens AA. Eusignio P. P.* mandant, ne à domesticis & protectoribus oscula dedignentur recipere, quippe sacrilegium esse illis, quos Principes purpurâ suâ dignos æstiment, non deferre honorificentiam. E contra legimus, Severum eum, qui postea Imperator factus est, cum quidam Leptitanus præcedentibus fascibus ut antiqui contubernalis ipse plebejus osculò invasisset collum, fustibus ipsum jusse cædi, sub elogiò præconis, Legatum populi Romani homo plebejus temerè complecti noli. *Spartian. in vit. Sever.*

§. 9.

Oscula Dominis, Patronis, Parentibus data.

Jam moris quoque fuisse, ut servi ad manus Dominorum accederent, sive ut eas oscularentur, item, ut Candidati manus Promotorum suorum prensarent & osculis contererent,

B

trahit

tradit *Lipsius libr. 2. Elect. cap. 6.* Ubi putat ab illis ipsis blanditiis, quibus Candidati populum prosecuti sunt, ortam esse osculationem potentiorum manuum. Namque in genere nihil frequentius fuisse, quam ut clientes Patronorum gratiam osculò eblandiri contenderent, *Martialis* in compluribus locis suggerit. Denique parentes quomodo à liberis ore fuerint honorati, vid. apud *Rittersh. tr. de Oscul. sect. 12.* Hactenus de osculis Reverentiæ. Sequuntur

II. OSCULA BENEVOLENTIÆ.

§. 10.

Oscula subditis à Principibus impertita

Osculis BENEVOLENTIÆ excipiuntur à superioribus illi, qui præclaris studiis aut insigni operâ benè meriti sunt, quò ea & testimonio sint, grata esse exhibita officia, & incitamento ad ulteriora. Quamquam hoc Galbam in Othone fefellit, quem is amplexu & osculò vix demissum, hostem & percussorem suum expertus est. Planè necessarium quasi quoddam officium videtur fuisse, quò Princeps olim Romæ tenebatur, ut in abeundò & adeundò Senatū osculis cohonestaret, utpote cuius ordinis maxima & perpetua in eum merita extabant, imperii permissio & amplitudinis conservatio. Idcirco ingentis odii significationem interpretati in Nerone sunt, quòd illud neq; adveniens, neq; proficiscens erga senatū observavit, *Suet. cap. 37.* Multò majori vitio C. Caligulæ datum est, quòd, cum à Senatu superbissimam adorationem affectasset, ipsi rarissimis eum osculis remuneratus est. Tantò igitur gratior & magis acceptus fuit Optimus Princeps Trajanus, cum Senatum, sicut osculò dimissus fuerat, osculò excepisset, *Plin. in Panegy.* Reperimus quandoque etiam Principes infixisse oscula exteris, præsertim legatis, & id in signum pacis, uti fecit Fridericus I. Imperator legatis Adriani Pontificis apud *Guntber. l. 7. v. 191.* Sed maximè contrariò institutò usi sunt Reges.

ges Numidiæ, qui nemini mortalium osculum ferebant, *Valer. Maxim. l. 2. c. 6. num. ult.* Qui hanc rationem interserit, quod ea, quæ sunt in excelsò fastigiò posita, humili & tritâ consuetudine, quò venerabilia maneat, vacua esse conveniat. Quicquid sit, durius & *τις ἐγγυιχότερον* institutum extitit, exindè tamen Principi descendum, mores suos cum in aliis rebus, tum etiam in osculis ita temperare, ne aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuat.

III, OSCULA AMORIS.

§. II.

Quid sit Osculum Amoris, ejusque divisio.

Osculum AMORIS non nisi inter eos redditur, quàm qui aut reverà sunt æquales, aut tales sibi invicem existimantur. Est enim illud signum quoddam unionis, quæ inter solos æquales consistit. Reddimus autem, vel ut testemur, nos ægrè ab objectò, quod amamus, divelli, vel quòd indè svavitatem aliquam sentiamus, vel ut objectum disponamus ad longiorem & arctiorem unionem. Eleganter *Aristanctus libr. 2. Ep. 19.* de Osculis, quæ amantes invicem mutant: Non admotis solum, ait, pectoribus, sed ipsis etiam animis per conjuncta oscula. Hoc enim osculum potest, hoc petit. Festinant invicem ad se animæ per ora, concurruntq; circum labia, fitq; ibi coitus animarum dulcissimus. E contrariò, cui osculum negamus, aut cujus osculum refugimus, ab eò nos significamus procul remotos libenter cupere, cujus propinquitas nullam voluptatem, multam autem molestiam creet. Unio quoniam alia animorum est, alia corporum, possumus osculum amoris ita dividere, ut aliud sit charitatis, aliud libidinis. Libidinis iterum aliud honestæ & licitæ, aliud illicitæ & impuræ.

§. 12.

Osculum Charitatis.

B 2

Oscu.

Osculum Charitatis est symbolum, quò nos demonstra-
mus libenter unà velle vivere, & communem inter nos for-
tunam cupere. Talia sunt habenda oscula parentum, quèis
liberos suos complectuntur, mutua fratrum & sororum,
item cæterorum cognatorum, conjugum quoque, quorum
non modò corporum conjunctio, sed animorum coaduna-
tio præcipuè requiritur. Et in summâ omnium amicorum,
qui sibi mutuò benè cupiunt. Huc etiam quodãmodo referri
potest, quod vocant, Osculum pacis, quod apud Pontificios
inter se communicant, qui ad Missam convenerunt, tanquam
symbolum Christianæ communitatis ac dilectionis, de quò
infra in Osculis solemnitatis. Inde est quod in *Can. fin. caus. ii.
quest. ult.* quorum communionè jubemur abstinere, eorum
quoque osculationè contaminari prohibemur. Sed & huc re-
ferenda sunt oscula, quæ olim morientib; aut etiam jamiam
in rogam ponendis, qui aderant, amici & sanguine conjuncti
præbebant. Quò more nihil apud scriptores frequentius, &
indè petitâ formulâ, *in amplexu & osculis deficere*. Scilicet
quemadmodum peregrè abeuntes, sic etiam morientes, quos
abire antiqui dicebant, non sine osculò dimittendos puta-
bant: Vel, quod veterum opinioni consentaneum est, vole-
bant hòc modò exuntem animam excipere, & in se trans-
ferre. Credebant enim animam à corpore discessuram per
os tanquam januam aliquam emigrare, ideoq; animam in
primò ore vel labris tenere dicebant de illis, qui in mortis
erant confiniò, *Kirchman. libr. i. de funerib. Romanor. cap. 5.*

§. 13.

Num Osculò remissa intelligatur injuria?

Quemadmodum offensi animi argumentum est, alterum
ad osculum eò in locò, ubi ejus usus est, non admittere, *Ma-
rant. par. 6. de ord. judic. art. 2. n. 48.* Ita contrà osculum mutuum
inter injuriatum & injuriantem pro tesserâ reconciliationis
acci-

accipitur, *Mascard. de probat. l.2. concl.902. n.21.* Quandoquidem injuria non expressè tantùm per pactum aut transactionem remitti intelligitur, sed etiam tacitè per omnes illos actus, ex quibus dissimulatio præsumi potest. Nulla autem certior dissimulationis præsumtio capi potest, quàm ex osculò unionis & amicitiae symbolò. Nisi jam injuriatus accusationem instituit, aut reum citavit, aut litem cum eò contestatus est, prout rectè limitat *Prosp. Farinac. quest. criminal. 105. num. 375.* Tunc enim non alia, quàm expressa remissio tollit injuriam, nec sufficit tacita per osculum, salutationem, risum, aut similes familiaritatis actus, *Hostiens. in cap. olim 7. n. 8. & 10. extr. de Injur.* Malè verò amplius istud *gloss. in §. fin. verb. non revocaverit. Inst. de injur.* limitat eò in casu, quò injuriatus injuriam vel saltim ad animum revocavit. Læsus enim, si injuriam non statim ad animum revocat, sed dissimulat, eò ipsò eam derelinquere videtur & actionem amittit, *§. fin. Inst. l.ii. §.1. ff. de injur.* Et sic osculum ad remissionem aliquid supervacaneum est. Quòd si ad animum revocavit, i.e. commoti alienativè animi indicium fecit, cur non osculis aliisque signis animi placati & reconciliati editis, injuriam condonasse dicetur? Et ita *Vivi decis. 330.* judicatum refert de Anno 1589. in Regiâ Audientiâ Barensi. Sed num etiam ex osculò illa injuria, quàm maritus per uxoris adulterium accipit, remissa intelligatur ad hunc effectum, ut mulier à pœnâ mortis liberetur, eamque maritus in connubiò retinere cogatur valdè vocatur in dubium, ideò, quòd *Dd. cum de tali effectu & remissione sermo est, semper conjugalis cohabitationis mentionem faciant, vid. Dn. Carpzov. in pract. Crim. quest. 55. p.2. n. 40. seq.*

§. 14.

Num etiam per Osculum pacis?

Quod de Osculò in vitâ communi dictum est, remissionem injuriæ importare, illud etiam ad osculum pacis in fidelium

B 3

congre-

congregatione usitatum extendit *Anton. Matthæi tract. de criminib. tit. 4. de injur. c. 1. n. 15.* eò, quòd sit fraternæ dilectionis signum. Ideoq; judicem monet, ne eò in casu temerè actionem det, nisi actor fortè doceat, suâ lenitate atqve patientiâ nihil meliorem effectum adversarium. Cui tamen assensum dare non possumus propterea, quòd omnes illi actus, ex quibus eliciendæ sunt conjecturæ condonatae injuriæ, spontè factos esse oporteat & motu proprio. Nam si ex aliâ occasione fiant, præsertim ex officii aut honestatis necessitate, insufficientes ad suppeditandas ejusmodi conjecturas communiter à Dd. habentur. Quoniam igitur osculum Pacis (non magis ac cætera Christianæ charitatis symbola, *vid. Balduin. de casib. consc. l. 4. cap. 17. cas. 4.*) in Ecclesiâ denegari nequit salvâ honestate & conscientiâ, concludendum est, injuriam magis rancorum & odium remisisse, quàm ipsam injuriam, *vid. Bajard. in addit. ad Clari §. injur. n. 57.* Quemadmodum & is, qui ad sacram Cœnam iturus veniam lædenti offert, saltim de rancore & odio desistere, non verò de persequendâ satisfactione in forò intelligitur, *Bart. in l. non solû. 12. §. 1. n. 3. ff. de injur. & ibi Alex. lit. E. in verb. remittere.*

§. 15.

Osculum libidinis quid sit, & quorsum tendat.

Osculum libidinis esse dicimus, quòd amantes sibi invicem reddunt, vel ut voluptatem aliquam ex hoc ipsò actu percipiant, vel ut faciant præludium futuræ copulæ & ad eam disponantur, seq; ad mutuos amplexus accendant. Nam etiam ex solâ svaviatione, dum applicantur & conferuntur labra, voluptas quæritur, eaqve modò major, modò minor pro diversâ ratione & concinnitate invenitur. Sic apud Megarenses annum fuisse inter pueros certamen, quis eorum svavissimè oscularetur, patet ex *Theocriti Idyli. 12.* Regulariter tamen habentur pro præparatoriis & quasi arrhis rei Veneræ,

reæ,

rea, pro antecæniis & proemiò concubitus Variis autem modis hæc oscula fiunt. Nam vel simpliciter labrum labrò conjungitur & applicatur, vel adduntur morsunculæ, vel lingvis ori insertis columbatim luditur & saliva commiscetur. Hi sunt certi veluti gradus, quibus itur ad rem Veneriam. Et quia libido ad hanc alia licita est, alia illicita, supra §. II. osculum libidinis aliud diximus esse licitum & honestum, aliud illicitum & impurum.

§. 16.

Osculum libidinis ubi sit licitum.

Honesto & licito osculo apud solos conjuges locus est, nam in his solis honesta atque licita libido locum invenit. Solos conjuges dicimus, ut excludamus etiam sponfos, utut alias, quæ de conjugibus disponuntur, in sponfis quoque obtineant, docente *Magnif. Dn. Carpz. in Jurispr. Consistor. l. 2. d. 184. num. 6.* Videlicet quoad illa oscula, quæ fiunt in præludium concubitus. Qui cum sit omnino ante benedictionem sacerdotalem prohibitus, laud. *Dn. Carpz. in dict. Jurispr. Consist. l. 3. d. 76.* merito etiam censentur prohibiti actus ad eum disponentes. In reliquis osculis, quibus delectatio ex solo actu & contactu queritur, possumus esse indulgentiores, quia sanè sponsus jus aliquod habet sponsæ suæ svavitatibus fruendi, & apud Moralistas tales svavitationes inter sponfos pro peccatis non habentur, prout videre est ex *Lessio l. 4. de J. & J. c. 3. d. 8. n. 58.* Sed & apud conjuges in exhibendò osculò, licet per se spectatò nihil insit vitii, nisi tamen loci quoque ac temporis cæterarumque circumstantiarum habeatur ratio, aliquando reprehensio & animadversio non effugietur. Jure meritoque enim à Catone Censore Manilius, quem omnium opinio Consulem designabat, Senatu motus fuit eam ob causam, quòd uxorem interdium fuisset inspectante filià deosculatus, *Plutarch. in vit. Cat. Maj.* Nimirum ut *Augustin. lib. 14.*

de



de Civit. Dei. cap. 18. ait: Devitat publicum etiam permiffa atq; impunita libido confpectum. Nonnè & ipfe concubitus conjugalis, quanquam fit licitus & honeftus, remotum ab arbitris cubile requirit? Nonnè omnes famulos atqve ipfos etiam paranympbos & quoscunqve ingredi quælibet neceffitudo permiferat, antè mittit foràs, quam vel blandiri conjux conjugii incipiat?

§. 17.

Osculum libidinis illicitum damnatur.

In cæteris omnibus, qui extra juftas nuptias degunt, quemadmodum libido, fic etiam osculum, quod ex libidine proficifcitur, fœdum eft atqve illicitum. Bonum ac laudabile osculum eft, quod ex benevolentia vel amicitia præbetur, imò rustici & agrestis hominis eft, sæpè etiam impii, osculum omittere, ubi fic confuetudo fert, aut ritus patrii exigunt. At quod ex merâ libidine infertur, non nifi inter conjuges excufari potest. Ac quamvis nonnulli fint, qui in fvaviationibus fibi perfvadeant, nullum aut tenuè vitium subeffe, & cum puellâ illâ apud *Theocrit. Idyll. 27.* arbitrentur, osculum effe rem inanem, abstersò vultu & emissò fputò statim eluendam. Tamen ut in corpore nullam maculam imprimat, animi fordes non obfcure prodit, graviterq; honestæ famæ præjudicat. Nam five quis eoutitur tanquam signò concubitus, satis dedecoris ac criminis admitti in eò, quòd actus illiciti voluptate, cum reipsâ frui neqveat, ad minimum illâ titillare mentem tentet. Sive ut dispositione ad ipsam copulam, tum sicut actus confequens flagitium continet, ita antecedens & confequentem præparans turpitudine non vacat. Error tamen fuit Begvinarum mulierum maximus, statuentium fornicationem quidem non effe peccatum, quòd ad eam natura inclinè, at osculationem effe peccatum mortale, quòd huc natura non inclinè, damnatus *in cap. ult. de heretic.*

in

in Clement. Nam, prout ibi *Glossa* rectè advertit, osculum ex malâ & inordinatâ causâ procedens omninò peccatum est, non tamen fornicatione majus, quia fit actus ordinatus ad actum carnalem consummandam, neque contra naturam, quia tendat ad actum naturalem promovendum. Ut taceam esse animalia, uti sunt columbæ, quæ nullum Veneris commercium inire dicuntur osculò vacuum, teste *Plin. histor. natural. libr. 1. cap. 15.*

§. 18.

Osculò infertur injuria.

Sed quia Osculum, quod ex vetitâ libidine committitur, non est modò factum per se illicitum, sed etiam alterius facti illiciti symbolum & quoddam quasi præparatorium, videamus, quorum criminum præsumptiones exindè capi soleant. Sunt autem ea potissimum duo; Injuria, & læsa Pudicitia. Repetendum hîc est *ex l. 1. ff. de injur.* quid sit injuria & quotuplex. Injuria in genere dicitur omne id, quod non jure fit. In specie verò omne delictum, quod in alterius contumeliam admittitur. Et est alia verbalis, quando voce vel scripturâ; alia realis, quando factò quòdam inferimus contumeliam. Factò autem inferimus contumeliam, cum alterius vel corpori, vel dignitati, vel famæ graves sumus. Porrò patimur injuriam vel per nosmetipsos, vel per alias personas, putà cum contumelia fit liberis aut servis nostris, item uxori nurrivè &c. Quoties enim injuria fit illis, qui potestati vel affectui nostro subjecti sunt, toties ea ad nos spectare dicitur *in d. l. 1. §. 3. ff. de injur.* Quoniam igitur, dum alteri osculum obtrudimus, attentamus ejus pudicitiam, attentatio autem pudicitia *in d. l. 1. §. 2. in fin. ff. de injur.* ad illam contumeliae speciem refertur, quæ ad infamiam pertinet, dicimus cum *Albustio in suâ diceolog. libr. 1. cap. 124. num. 11.* turpe & luxuriosum osculum importare injuriam realem, vel illi ipsi, cui osculum

C

datum

datum est, vel etiam aliis, qui per attentati latus petuntur, vindicandam. Et sic regula prima hæc esto: Quicumque sive viro, sive foeminae, sive nuptis, sive innuptis, sive viduis osculum ausus est rapere, is injuriarum tenetur, prout in specie de virgine osculô petitâ respondisse JCtos Nostros Anno 1634. testatur *Dominus Strauch. disp. 19. ad jus Justin. apb. 14.*

§. 19.

Nisi sit datum consentienti.

Duobus autem modis limitamus traditam regulam. Statim enim non procedit, quando turpe osculum illatum est consentienti & non repugnantem, juxta tritum axioma; Volenti non fit injuria. Utrum verò talis hoc loco consensus requiratur, qui sit ab omnibus blanditiis, persuasionibus, deceptionibus liber, an sufficiat dolosis artibus elicitus, dubitari potest propter crimen raptus, in quo communiter concluditur, quod posterior consentiendi ratio non sufficiat, id quod ex *l. 1 Cod. de rapt. virgin.* ibi: quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis inducitur, & nisi eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non facit eam velle in tantum dedecus se prodere. Ubi notat *Cynus num. 5. in tertiâ opposit. vers. Tu dicas &c.* quòd isto casu in muliere non dicatur adesse voluntas inordinata, sed dolosa persuasione inducta, & sic mulier decepta pro non volente habeatur. Et *Baldus ibid. num. 17.* quòd voluntas vitiata per dolum vel machinationem non excludat delictum. Hoc si verum est, posset dici, in osculô non excludi injuriam, licet patientis consensus adfuerit, dolis ac persuasionibus extortus quasi. Sed quanquam ejusmodi dolosa persuasio non facile præsumenda sit in consensu ejus, qui osculum patitur, tamen, etiam si illa quoque probata fuerit, non putamus, eum, qui osculum a quo animò tulit, quicquam adversus inferentem posse prætere. Sibi enim imputet, quòd non cautiore ac firmiori animò dedecus admis-

admissum vitaverit. Alia ratio est in raptu, qui honestatem publicam lædit, & ferè semper certò pudicitia discrimine conjunctus est. Osculum verò non nisi privatum dedecus affert, nec tam princeps gradus est ad ultimum pudicitia periculum. Adeòque illò casu favorabilior causa & magis commiseratione digna conditio est, quàm istò.

§. 20.

Aut inhonestæ vel vili personæ.

Deinde etiam tradita regula non procedit, si quis inhonestæ vel etiam vili personæ per vim osculum obtrusit. Quoad enim personam inhonestam, in illâ planè cessare videtur ratio, ob quam injuria ex osculò nascitur. Cum enim osculum sit attentatio pudicitia, eam autem §. 18. pertinere dixerimus ad præjudicium honestæ famæ, ideò ubi famâ jam læsa est, impunè ea attentatur, quia nullum ei potest fieri præjudicium, & notum est, quod nemo ob veritatem convicii tenetur. Accedit, quòd raptus aut etiam stuprum inhonestæ mulieris delinquentem excusat, *Prosp. Farinac. quest. 145. §. Meretrix. n. 135. seq. Et quest. 147. §. Stuprum. num. 82. seq.* Ergò multò magis osculum ejusmodi personæ illatum excusabit, quoniam à majori (raptu & stuprò) ad minus (osculum) validè possumus inferre. Idcirco amplius dicimus pro inhonestâ personâ accipiendam esse non solum eam, quæ vel publicè vel privatim alios admisit, sed etiam, quæ saltim ejusmodi signa præse tulit, ex quibus læsa pudicitia præsumitur, uti sunt secreta colloquia, amplexus &c. præsertim autem oscula. Hinc si quis personam, quam ante ab aliis patienter oscula ferre vidit, osculatur, excusabitur, quemadmodum in muliere oscula passâ raptum quoque excusari tradit *Marsil. in l. 1. n. 18. C. de rapt. virgin. Cephal. libr. 1. cons. 140.* Aut si quis eam osculatur, quæ antè ab illò ipsò sine contradictione oscula recepit, similiter impunè hoc feret, sicut iterum quoque à pœnâ liberari,

C 2

qui

qui mulierem rapuit jam antè sibi cognitã, ait *Capoll. Consil. 57.*
 Quod attinet personam vilem, nec eam adversus osculantem
 injuriarum experiri posse dicimus, tum quod ejusmodi per-
 sonæ in genere ob vitæ & conditionis vilitatem dignæ legum
 observatione non credantur *l. 29. Cod. ad L. Jul. de adult.* tum
 quod in talibus personis præsumtio sit inhonestæ vitæ, quod
 in specie de ancillis cauponariis testatur *gloss. in l. si uxor. 13. §. 2.*
verb. vulgaris ff. eod. tum quod ob stuprum sibi illatum vix
 actionem injuriarum habeant, *Farinac. libr. 1. Cons. 9.* Ergò illa
 actio multò minus locum habebit in osculò.

§. 21.

At quos injuria ex Osculò redundet.

Alteram regulam ita ponimus: Osculum injuriosum in-
 ferens injuriarum quoque tenetur illi, cujus potestati vel
 affectui persona attentata subjicitur. Potestati nostræ subjecti
 sunt liberi & servi, item uxores. De liberis res clara est; Nam
 quia, quæcunque liberis illata sit, injuria patri quoque illata
 censetur, *l. 1. §. 3. l. 30. ff. §. 2. J. de injur.* in specie hoc etiam de
 osculò affirmandum erit. Circa servos & ancillas distinguen-
 dum puto, utrum quis eos ex merâ petulantia, an verò, ut
 ægrè domino fieret, osculatus fuerit. Priori casu osculatus
 injuriæ non tenetur, siquidem osculatio non est injuria atrox,
 verum levis, pro quâ neque domino neque servo actio com-
 petit, *arg. l. 15. §. 45. ff. de injur.* Posteriori utique tenetur, *arg.*
l. 1. §. 3. l. 25. ff. de injur. Sed & uxor nostræ, si impudicò fuerit
 violata osculò, injuria ad nos redundabit, *arg. d. l. 1. §. 3.* Af-
 fectui nostro subjectæ sunt sponsæ, nurus & ceteræ con-
 junctæ personæ. Si quis igitur unam ex his attrectare osculò
 ausus fuerit, injuriarum nobis quoque tenebitur, quia spectat
 ad contumeliam nostram injuriã, quæcunque talibus infertur.
 De sponsò textus est *in l. 15. §. 24. ff. de injur.* De nuru *in l. 1. §. 3.*
ff. eod. De conjunctis vid. *Farinac. quest. 105. num. 288. seq. Et ibi*
allegat.

allegat. Dd. In summâ autem tenendum est, cum propter enumeratas personas actio nobis detur non solum injuriatarum, sed etiam propriò nomine, si injuria in contumeliâ nostrum facta sit, *vid. §. 2. Inst. de injur.* quòd nobis experiri volentibus nihil eorum, qui oscula admiserunt, aut consensu aut injuriæ acceptæ condonatio officiat. Quamquam enim personæ læsæ consensu suò vel remissione sibi præjudicant, aliis tamen hoc ipsò præjudicare nequeunt. De filiò & servò, qui spontè se corrumpi sinunt, textus est expressus *in l. 26. ff. de injur.*

§. 22.

Ex Osculò præsumptio ad læsam pudicitiam.

Secundò sit etiam ex illicitæ libidinis osculò præsumptio ad læsam pudicitiam. Certum est illas personas, quæ alias per libidinem solent amplecti & osculari & contrectare, aut quæ in suò corpore talia ab aliis patiuntur æquò animò, impudicæ atque inhonestæ vitæ speciem edere, adeòque pro inhonestis haberi. *Paris. Consil. 160. num. 6. Covarruv. in libr. 4. Decretal. p. 2. tit. de matrim. c. 7. §. 6. num. 5. Ubi etiam num. 6. Baldum vol. 4. Consil. 207. consuluisse refert, fœminam, cui legatum sub hâc conditione, si honestè ac pudicè vixerit, relictum fuerat, legatò esse privandam, si vagis osculis & amplexibus se prostituerit. Sed quemadmodum ex unò factò sæpè ad alterum concludimus, sic etiam ex osculò vel datò vel acceptò usque ad extremam pudicitia jacturam, i. e. ad ipsam copulam carnalem infertur. Tamen si enim de suspicionibus nemo facile damnari debet, *l. 5. in pr. ff. de pœnis* & *ibi Gloss. in verb. damnari,* ita ut nec plures junctæ sufficiant, nisi certa sint atque indubitata & violenta indicia, *l. ult. C. de probat.* Exceptionem tamen hoc patitur in delictis, quæ solent in occultò & in abditò committi. Hæc enim cum sint difficilis probationis, ideò in illis præsumptivæ probationes pro veris & concludentibus habentur, *Farinac. quest. Criminal. 86. num. 29. quest. 136. num. 4.**

Nam in quibus actibus non possunt veræ probationes haberi, istis recipiunt jura probationes verisimiles, ne probationum facultas angustetur, *Mascard. vol. 1. conclus. 452. num. 5.* In occultorum autem criminum numero recensetur etiam copula carnalis, *Farinac. d. quest. 86. num. 35. & quest. 136. num. 4.* Atque hinc difficillimæ existit probationis, ita, ut nunquam ferè directè possit doceri, sed semper præsumptionibus & conjecturis probanda veniat, vid. *cap. 12. & 13. extr. de præsumpt.* Quamobrem si qui præparatoriis & præludiis rei Venereæ nisi aut in actibus proximè copulam antecedentibus deprehensi dicantur, in illis subsequutam etiam ipsam copulam fuisse sufficienter præsumitur. Ad ejusmodi actus præparatorios referuntur quoque à Doctoribus communiter oscula; ita ut ex illis (præsertim si plura signa accesserint) non modò conatum, sed ipsum etiam actum rei Venereæ præsumendum esse gravissimè doceant *Mascard. vol. 1. Concl. 312. n. 20. & vol. 2. concl. 810. num. 5. Menoch. de præsumpt. l. 5. quest. 41. num. 26. Farinac. quest. Criminal. 136. num. 133. 134. Magnif. Dn. Carpzov. in pract. Criminal. p. 2. quest. 57. num. 47. & quest. 60. n. 27.*

§. 23.

Etiam in delictis carnis majoribus.

Quod autem dictum est: Osculum suppeditare præsumptionem copulæ carnalis, illud volumus procedere non solum in delictis carnis minoribus, sed etiam in majoribus, ut sunt Adulterium, Incestus & Sodomia. Et sic in specie *Par. 15. Consil. 163. num. 2. seqq.* respondit de eò, qui puerum visus est osculis & amplexibus fatigare. Non obstat, quòd majora & atrociora delicta majores etiam probationes desiderent, quàm quæ in levioribus delictis eruendis adhibentur, tum propter ipsum flagitium, cujus atrocitas facit, ne facilè in aliquo præsumatur, tum etiam propter pœnam, quæ regulariter corpus ac vitam concernit, qualis non temerè & non nisi

re

re probè exploratâ judici permittitur. Sed cùm delicta carnis, prout §. *anteced.* diximus, ita sint comparata, ut eorum veritas nunquam ferè directè probari possit, verisimilibus conjecturis locus concedendus fuit, ac præsumptionibus, non tantùm in minoribus, sed etiam majoribus, quæ non impunita manere vel maximè Reipublicæ interest. Valdè autè verisimilis est illa præsumptio, quæ ex mutuâ osculatione peti potest. Est enim actus propinquus ante copulam carnalem, juxta notum versiculum: Visus & alloquium, tactus, post oscula factum. Hinc *Abbas in cap. præterea, num. 2. vers. Adhuc plus dico, extr. de testibus* cùm dixisset, adulterium & fornicationem reddi notoriam ex actibus propinquis, exemplum subjicit de osculantibus & amplexantibus. Sed num osculum propterea tantùm sit indicium, ut valeat ad torquendum reum, quaeritur? Nos negamus. Quamvis enim dicatur esse valdè propinquus ante concubitum actus, sunt tamen adhuc actus, qui longè fortiora indicia præbeant, v. g. si quis supra mulierem jacuerit, aut nudus juxta nudam in unò lectò fuerit &c. Quamvis etiam pro maximè verisimili argumentò subsequente copulæ habeatur, multæ tamen præsumptiones adesse possunt, quæ contrarium arguant. Aliud dicendum est, si plures actus concurrant, qui simul juncti, quid subsequutū fuerit, indubitatum faciant, v. g. si osculantes in locis abditis & remotis fuerint, si in mutuis amplexibus hæserint, si in terram prostrati jacuerint, si in unò lectò præsertim nudi dormiverint. Tunc enim, quò minus reus quaestionibus tutò subjiciatur, non dubitamus cum *Joh. Zangerò in tract. de quest. sive tort. cap. 2. n. 74. Prosp. Farinac. quest. Criminal. 136. num. 135. Magnif. Dn. Benedict. Carpz. in pract. Crimin. p. 2. quest. 60. num. 27.*

§. 24.

Osculum in dubiò præsumitur esse libidinis.

Osculum non unâ, sed variis ex causis proficisci patet ex antecedentibus. Itaque superesse adhuc videtur, ut dicamus, quando

quando pro osculō illicitæ libidinis concludendum sit. Nam hoc demum & præsumptiones suppeditat ad illa delicta, de quibus hætenus egimus, & pœnæ, de quâ nunc agendum erit, subjacet. Ponimus autem sequentem regulam ex *Menchio de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 2. num. 59.* Osculum in dubiō in malam potius, quàm in bonam partem sumendum esse. Idque contra regulam communem, quòd delictum in dubiō non præsumatur, sed quilibet jure suo fuisse usus putetur, *arg. l. si. pr. ff. pro soc. l. 15. §. 36. ff. de injur. l. 30. C. de inoffic. testam.* Ita, ut actus indifferens potius in bonam, quàm in malam partem accipiendus sit, & in omni actu, in quò duæ præsumptiones concurrunt, una delicti inclusiva, altera exclusiva, semper illa præsumptio, quæ delictum excludit, præ ista, quæ delictum includit, attendenda veniat. Scilicet hæc vera sunt de ejusmodi actibus, qui in utramque partem æquè propendent, & ubi duæ præsumptiones concurrunt æquè pollentes. Illi verò actus, qui secundum communem usum loquendi ferè in malo sensu intelliguntur, & qui præsumptiones quidem præbent in utramque partem, graviores tamen ob communiter accidentia in malam, regulariter & in dubiō referuntur ad delictum. Talis, v. g. est conspiratio, i. e. plurium inter se in occultō conventio & deliberatio. Etsi igitur hæc aliquando in bonum finem institui potest, cōmuniter tamen in illâ deprehendimus accidere, ut in alterius perniciem conjuretur. Quare etiam ex eâ communiter nihil boni præsumitur, & communi usu loquendi effectum est, ut in dubiō pro crimine reputetur. Atque etiam talis est osculatio mutua. Quamquam enim hæc quoque aliquando ex bonâ fit intentione, rarissimè tamen fit, & communiter tanquam præparatorium & præludium ad illicitam conjunctionem adhibetur, atque ob id in communi usu loquendi parùm honesti aut boni significat, sed ferè ad actum impudicitæ & libidinis refertur.

Causam exclusivam dat Consanguinitas.

Et hoc tamdiu procedit, donec constat de causâ aliquâ delicti exclusivâ. Tunc enim invertenda est regula, & ubi talis causa adest, osculum in dubiô pro honesto ac licito sumendum est. Talis causa exclusiva est conjunctio sanguinis, quæ omnem sinistram libidinis præsumptionem tollit, *l. 19. C. de Episcop. & Cleric. l. 34. C. ad L. Jul. de Adulter.* Igitur cum inter extraneos sufficit qualiscunq; probatio fornicationis per conjecturas, major requiritur in consanguineis, quia præsumptio honestatis, quæ oritur & colligitur ex consanguinitate vel affinitate, excludit & enervat omnes alias præsumptiones contrarias, *Anton. Gomez. in L. Tauri. 80. num. 16.* Et sic etiam in osculo per consanguinitatem omnis mala præsumptio cessat, v. g. si filius osculetur matrem, & illa vicissim filium, etiam si mater sub filio prostrata inveniatur, *Menoch. lib. 5. præsumpt. 17. num. 13.* ubi exemplum ex *Aristot. libr. 2. Rhetoric.* adducit de matre, quæ se filio, ut eam blandius salutaret, subjecerat, absolutâ in judicio statim atqve causam explicuerat. Quin etiam solam amicitiam in osculo extingvere malam præsumptionem, scripserunt *Cagnol. in rubr. Cod. de Edendo. n. 34. v. : Secundò quando osculum esset causa honestæ amicitie; & ibidem Bolognet. num. 22. Johan. à Ripâ in Rubr. extr. de judic. num. 23. vers. declara modò.* Quod tamen non esse tutum rectè scribit *B. Codech. in repetit. dict. rubr. de judic. num. 54.* cum etiam hoc, quòd consanguinitas sit causa exclusiva malæ libidinis, tantum admittatur in consanguineis proximioribus, prout sunt parentes, filii, fratres & sorores, secus in consanguineis remotioribus, *Farinac. quest. Criminal. 136. n. 209.* Et hæc est prima limitatio. Deindè etiam restringitur tum, cum accedit aliqua violenta præsumptio, quæ in contrarium urgeat. Quemadmodum enim v. g. si quis consanguineorum osculum dat in

D

vesti.

vestibulô & aditu publicô domus, vel in aulâ, vel in canacu-
lô, vel in viâ & locô publicô, meritô sinistra suspicione caret,
Bolognet. in rubr. Cod. de Edend. num. 23. ita contrâ si quis hoc au-
sus fuerit in locis occultis, aut etiam in lectô, ubi est nudus
cum nudâ, quis cum adeò purum crederet? Nam quicquid
etiam dicat *Aym. Cravetta Consil. 321.* consanguinitatem facere,
vel ex dormitione in unô lectô nihil mali præsumi possit,
contrarium tamen verius esse probat, *cap. 12. extr. de præsumpt.*
ubi consanguineus mulieris solus cum solâ esse quæsierat, &
nudus cum nudâ in lectô fuerat. Nisi fortè consanguineus
jam seniô sit confectus, fœmina verò adhuc teneræ & inha-
bilis ætatis, tunc enim, quia plures præsumptiones in con-
trarium militant, facilius accumbentes in unô lectô excusari
possunt cum *Menoch. d. l. 5. præsumpt. 17. num. 5.*

§. 26.

Item Consuetudo loci & Ætas.

Causa exclusiva malæ libidinis est quoq; consuetudo loci;
Nam ubi moris est, ut in salutationibus adhibeantur oscula,
præsumptio libidinis locum non habet, *Bertaz. Consil. 20. n. 5.*
libr. 1. Cagnol. in rubr. Cod. de edend. num. 34. versic. secundo quando
osculum; & ibid. Bolognet. num. 21. Job. à Ripâ in rubr. extr. de judic.
num. 24. Et hoc imprimis procedit apud Gallos, qui de hone-
state mulierum suarum consili semper arbitrantur eas oscu-
lari causâ bonæ & honestæ amicitia, teste *Nevizan. in sylo.*
nupt. lib. 4. §. est nubendum. num. 77. seqq. Hanc tamen limitatio-
nem non indistinctè vult admittere *Bermon. de publ. concub.*
rubr. de adulter. n. 84. Ac sanè hic reperenda videtur distinctio,
quam §. *anteced.* de consanguinitate tradidimus, utrum scilicet
osculatio fiat palàm & in publicô an in suspectô locô. Item
videndum est, sitne simplex, an *καταγλώττισμα*, id est, cum
lingva ori inseritur. Nam si talia concurrant, præsumptio
bona, quam loci consuetudo præbet, iterum subvertetur.
Sed

Sed & illa causa malam libidinem excludet, si quis impuberes amplectitur & osculatur. Nam licet non novum sit, ut etiam cum talibus nefaria libido patretur, si tamen adhuc teneræ sunt ætatis & ad Veneream inhabiles, in dubiò aliquis hoc fecisse præsumendus est blandiendi gratiâ. Sic *Paris. in Consil. 163. num. 10.* ait, eum, qui puerum minorem decem annis deosculatus & amplexus est, præsumi hoc magis ex causâ benevolentia, quàm ex causâ libidinis fecisse.

§. 27.

Num etiam Clericatus?

An autem etiam Clericatus causam suppeditet, quæ in osculationibus pravam libidinem excludat, non immeritò dubitatur. Hoc quidem concedi potest, ut in viris vitæ sanctitate, religione & castitate insignibus haut facile sinistra suspicio concipienda sit, etiam si in actibus rei Venereæ proximis deprehendantur, quod exemplis confirmat *Mascardus vol. 2. concl. 810. n. 13. seqq.* Illud tamen in genere de omnibus illis, qui sanctum officium sustinent, præsumi velle, admodum periculosum esset. Potius dicimus cum *gloss. in l. Divus 7. ff. si cui plus quàm per l. Falcid.* legalitatem personæ nunquam excusare ab ejusmodi inhonestatibus, adeòque nec Clericatum, utut *gloss. in can. absit. 14. caus. 11. quest. 3* omnia vult in Clericis accipi in bonam magis, quàm in malam partem, & sic clericum, qui mulierem complectitur, arbitrandum esse illud facere benedicendi causâ. Quod tamen non vult credere *Nevizan. in sylv. nupt. lib. 4. §. est nubendum. num. 76.* & falsè ibi ridet maritos, qui, cum clericum uxorem suam in occultò complecti vident, præsumant, quod det benedictionem, & cum vident, quod deosculetur, præsumant, quòd faciat Zelò charitatis. Sed, addit, à tali charitate libera nos Domine, quando sic secretè loqvuntur, ex quò non præsumuntur dicere Pater noster. Certè neqvitia Clericorum fecit, ut illa

D 2

senten-

sententia glossæ communiter rejecta sit, ut in dubiô clericus osculans mulierem non amplius benedictionem, sed æquè ut alius symbolum & arrham illiciti concubitus dedisse præsumatur, vid. *Farinac. quest. sæpè allegatâ. 136. num. 203.* Quam sententiam egregiè probat *can. 20. distinct. 81.* ubi Clericus interdictum est privatim alloqui mulieres & cum iis fabulas miscere. Item *cap. 1. & 2. extr. de cohabitât. Clericor. & mulier.* ubi Clericis omnis cum mulieribus matribus etiam & sororibus, arctior ac familiarior cõversatio prohibetur. Tàm suspectos igitur cum sola allocutio & familiaritas Clericos reddiderit, quid non suspicandum erit ex eorum osculationibus? Quid? quòd disertè ab his abstinere jubeantur monachi, in *can. 104. de Consecrat. distinct. 4.* Atq; adeò nulla videtur causa, cur Clericatum in osculis pro causâ libidinis exclusivâ accipiamus. Quòd si tamen Clericos oscula in locò publicò aut sacro exhibuerit, sitq; bonæ existimationis, tùm procul dubiô sentiendum benignius erit.

§. 28.

Pœna Osculi non violenti in puerò aut innuptâ.

Dicendum nunc est de pœnis, quibus afficiuntur illi, qui turpiter & impudicè osculantur, aut ab aliis illicita Oscula admittunt. Variant autem illæ pro diversitate casuum, quare hi distingvendi veniunt. Ubi statim discrimen constituimus inter osculum violentum & non violentum. Si quis igitur puero, vel virgini, aut etiam viduæ non violentum osculum impertierit, cum extra ordinem, h. e. arbitrariè puniendum esse dicimus, cum *Menoch. de arbitrar. judic. quest. libr. 2. cas. 287. n. 1.2.* Quoniã enim in hos nulla certa pœna in legibus statuta invenitur, proindè meritò ea judicis permittitur arbitrio. Cujus etiã arbitrii erit, si puer aut virgo, quæ impudica oscula sustinuerunt, aliquâ pœnâ coercendi sint, idq; ob eandem quam modò allegavimus, rationem, *Menoch. d. cas. 287. n. 12.*

§. 29. Pater

Pater an filiam, maritus an uxorem in Osculô de-
prehensam possit occidere?

Jam de pœnis osculorum, quæ inter marem & fœminam nuptam reciprocantur. Ac ipse vir quidem, qui fœminæ osculum tulit, iterùm arbitrariæ pœnæ subjiciendus videtur, ita tamen, ut ea non ad criminalem adscendat. Neminem enim propter osculum de consensu mulieris datum, unquam criminaliter molestatum vidisse se testetur *Caball. resolut. Criminal. cas. 96. num. 11.* Quod verò mulierem attinet, siue osculum spontè admiserit, siue præbuerit, de eâ major disceptatio est. Statim enim quæritur, an patri ac marito potestas competat occidendi filiam aut uxorem, quam in impudicis osculis deprehenderunt. Quippe notum est, hanc potestatem patri concessam esse, in *l. 23. pr. ff. ad L. Jul. de adulter.* quando cunque in ipsâ turpitudine filiam, siue ipsi rebus Veneris de adulteriô invenerit. Qui illud ajunt, sequuntur sententiam *glossæ in l. patri 20. verb. patri ff. ad L. Jul. de adult. & d. l. quod ait lex 23. pr. verb. in ipsis rebus ff. eod.* quæ verba ista, in ipsâ turpitudine & ipsi rebus Veneris; interpretatur non tantum de ipsô concubitu, sed etiam de præludiis ac præparamentis concubitus, inter quæ refert oscula quoque & tactus, & ponit exemplum de filiâ, quæ cum virô in lectô inventa fuit, vel etiam extra lectum miscens oscula. Quapropter *Jodocus Dambud. in præf. criminal. cap. 89. rubr. de adult. num. 18. seq.* sufficere ait patri filiam & adulterum invenire atque offendere in cubiculô, sese mutuô indecorè & venerèè osculantes. Sed multò rectius tamen ac tutius dicta verba explicat *Budaus in annotat. ad d. l. quod ait 23. ff. ad L. Jul. de adult.* de ipsô concubitu, & ex *Cicerone in Topic.* ostendit, aliud esse ipsam rem Veneris, aliud antecedentia consequentiaq; Veneris. Hunc sequitur *Covarruv. in epit. decret. p. 2. cap. 7. §. 7. num. 3.* ubi tum demum

filiam in turpitudine inventam dici affirmat, quando in ipsò commixtionis actu deprehensa fuit. Itaque *Decian. in tract. Criminal. libr. 9. cap. 15. num. 15.* ponderandum monet additum relativum ipse. Id enim ob emphasin, quam contineat, rem perfectam, & non captam notare, & sic licet oscula & tactus res Veneris esse. Quod ipsum quoque luculenter probat additum in fine Græcum, *ἐν ἔργῳ*, in opere, ergò non in dispositione ad opus inventam esse filiam sufficiet. Certè ad minimum opus est, ut inventa sit sola cum solò & nuda cum nudò in eòdem lectò, prout vult *arg. cap. 12. extr. de presumpt. Cagnol. in rubr. Codic. de edendo. num. 29. & n. 31.* Sola autem filia oscula patrem non excusabunt, & multò minus maritum, cujus potestas hanc in re alias restrictior est, quicquid non eò effectu, quò pater, ut impunitus abeat, uxorem in adulteriò deprehensam jugulare potest, sed saltem, ut mitiorem pœnam extra ordinem sentiat, *l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adulter.* Quamquam quoad maritum expressè contrarium dicat *Afflict. in Constit. si maritus. num. 4. vers. & pondera textum de pœn. uxor. in adult. deprehens.* putà sufficere uxorem deprehensam esse in præludiis, in osculis & tactibus aut aliis in honestis actibus. Et hunc sequitur *Carrer. in pract. tract. 3. de homicid. & assass. §. 9. num. 7. Bajard. ad Clar. in §. homicidium. num. 176.*

§. 30.

Uxor an ob Osculum dote ac matrimoniò privanda sit?

Consequens est ut videamus, num mulier turpi contaminata osculò matrimoniò & per consequens dote suà excidat? Notum enim est, mulierem, cujus culpà matrimonium dissolvitur, dote multari, *l. 38. ff. solut. matrim. l. 8. §. 5. C. de repud. N. 117. cap. 8.* In antecedentibus diximus, osculum gravem præsumptionem dare ad consecutam copulam. Mulier igitur si ex eò adulterii convicta fuerit, dubium non est, quin
pœnam

pœnam propositam luat. Sed hœc locò quæritur, an tum
 etiam istâ pœnâ possit affici, si eam præter osculum passam
 aliquid esse non constat. In quò Dd. mirè iterum dissentiunt.
 Pro affirmativâ sententiâ rationes sequentes militant. Prima
 est; quòd non solum ob ipsum adulterium, sed etiam ob ali-
 quod impudiciæ signum & ob notâ inhonestæ vitæ potestas
 marito conceditur ab uxore divertendi, & jus dotem ejus re-
 tinendi, v. g. si uxor extraneorum virorum convivia appe-
 tierit, aut sine justâ & probabili causâ foris pernoctaverit,
 aut ludis & spectaculis interfuerit, *l. 8. §. 3. C. de repud.* item si
 cum extraneis laverit, *l. ult. §. 2. Cod. eod. Nov. 117. cap. 8. §. 4.*
 Quidni ergò etiam ob oscula talis potestas marito compete-
 ret, quippe cum illa magnam impudiciæ notam inurere, ac
 propterea mulierem legatum ipsi sub conditione honestæ
 vitæ relictum amittere jam ante dixerimus? Accedit (quæ est
 altera ratio petita à correlatò) quòd maritus, qui uxoris casti-
 tati insidiatur, simili pœnâ plectitur, *d. Nov. 117. cap. 9. §. 3.*
 Ergò etiam mulier, quæ per impudica oscula castitati suæ
 ipsa insidias tendit, utut extremi voti compos facta non fue-
 rit. Tertiò urgere quoque videtur *cap. 1. §. 1. quib. mod. feud.*
amitt. ubi vasallus, qui cum uxore domini turpiter lusit,
 feudò privandus esse pronunciatur. Ad turpem autē lusum
 communiter Dd. ibi referunt quoque osculationem, ut in
 sequentibus dicemus. Si igitur Vasallus, ob turpe osculum
 feudò indignus redditur, cur non etiam mulier matrimoniò
 ac dote ob idem facinus indigna censenda esset? Quartò ar-
 gumentantur à majori ad minus. Dicunt enim, si marito con-
 cessum est uxorem in osculationibus deprehensam occidere,
 (de quo supra in §. anteced.) multò magis ipsi concessum erit
 uxorem ita inventam à se propulsare & per consequens do-
 tem sibi vindicare. Deniq; quintò hæc omnia non immeritò
 constituta videri possent, propterea, quòd nisi ob solas præ-
 sumptiones adulterii divortium concederetur, nunquam
 mari-

maritus à luxuriosâ conjuge se liberare posset ob difficillimam ac penè impossibilem copulæ patratae probationem, & sic sub hõc prætextu impunè mulier nequitiam exerceret. Et ita sentiunt ac docent *Baldus in cap. tue. s. extr. de procuratorib. Felinus in cap. prætereà 27. extr. de testib. Curtius Junior. in rubr. Cod. de edendo n. 25. Job. à Ripâ in rubric. extr. de judic. col. 3.*

§. 31.

Negatur & affirmantium rationibus respondetur.

Petrus Gregorius Tholosanus libr. 8. Syntagm. juris univer. cap. 8. num. 26. temperamentum quoddam adhibere svadet, puta ut inspiciantur mores regionum. Sic apud Italos & Hispanos valdè suspecta ait esse oscula. Contra quàm in Galliis, quarum consuetudo hoc fert, ut mulieres liberè oscula & porrigant & recipiant, adeoque mala præsumptio ex osculis adversus illas stare nequeat. A multis tamen rigorosa ista sententia planè reprobata fuit, præcipuè à *Decio in rubric. Cod. de edendo num. 2. it. in rubr. extr. de judic. num. 1. Jafono in l. 2. pr. ff. solut. matrimon. num. 5. & à Menochiò de arbitr. judic. question. lib. 2. Cas. 287. num. 17. seqq.* ubi dicit, quòd pœna non sit inferenda nisi lege expressè sancita; Cum igitur nulla lex adsit, quæ tam gravem in uxorem oscula pœnam constituerit, periculosum erit eò usq; procedere. Nec tanti sunt in contrarium adductæ rationes. Ad primam enim potest responderi dupliciter: Primò, odiosas & pœnales sanctiones non esse facile extendendas, præsertim ad ea, in quibus minor subest ratio. Jam verò omni caret dubiò, secreta à viris convivia & pernoctationes & cum extraneis balnea &c. majori periculo & suspitioni obnoxiam facere pudicitiam, quàm Oscula. Deindè videri, quòd ipse Imperator voluerit constitutam pœnam restringere ad enumeratos casus in *allegat. ll.* Sic enim in *fin. l. ult. C. de repud.* Omnibus causis, inquit, requisitis & perlectis quas antiquitas introducebat, nihil validum præter eas,

eas, quas anteriores constitutiones & praesens dispositio in-
 troduxit, invenimus. Et in *Nov. 117. cap. 12.* Praecipimus, ait,
 nullam aliam causam praeter eas, quae nominatim insertae
 sunt huic legi posse solvere legitimum matrimonium. Ad
 secundam respondemus, in uno correlatorum plus esse, quam
 in altero. Quod enim de marito dicitur, illud de conatu ali-
 quo intelligendum esse, qui proxime ad rem ipsam accesserit,
 verba svadent sequentia. Ad tertiam constitutionem feudi
 esse specialem, neque ea, quae de Vasallum sanciantur, facile
 trahenda esse ad uxorem. Nulla siquidem inter eas personas
 comparatio est. Ad quartam, praesuppositum negari secun-
 dum tradita in §. 30. Quod quintam demum concernit, dici-
 mus superesse adhuc tertium remedium, ut maritus ex oscu-
 lis inquisitionem adversus uxorem instituat. Quamvis enim
 propterea non statim ei jus expellendi mulierem & retinendi
 dotem concedamus, graves tamen exinde cum posse capere
 conjecturas & praesumptiones, uxorem aliquid humani pas-
 sam esse facile largimur cum *Alciatò libr. 4. parerg. 10.* & *Nicolaò
 Bellono in rubr. Cod. de edendo. n. 81.* Atque adeo, si eam ulterius
 progressam convicerit, poterit suo jure uti, non quidem tam
 ob osculum, quam ob admissum adulterium.

§. 32.

Nisi adsit statutum aut consuetudo.

Quod si non apparuerit, uxorem ultra fines osculi venisse,
 nullum marito jus erit dotem sibi vindicandi, multo minus
 uxorem ejiciendi matrimonio. Quod minus dubium habet in
 nostris terris, ubi non nisi adulterio perfecto divortium per-
 mittitur, *Magnif. Dn. Carpz. in Jurisprud. Consistor. defm. 189.* &
practic. Criminal. part. 2. quaest. 63. num. 3. & tum demum maritus
 dotem lucratur. *Idem d. part. 2. quaest. 64. num. 15. seq.* Hoc tamen
 poterit maritus, ut in uxorem decerni postulet poenam ar-
 bitrariam ad coercendam ejus petulantiam, *Menoch. de Arbi-*
E
trar.

trav. judic. quest. libr. 2. cas. 287. Sed hæc tamdiu vera sunt, donec consuetudo loci aut statutum non aliud introduxerit, nam tunc secundum illud erit pronuntiandum. Quemadmodum in civitate Neapolis per constitutionem aliquam provisum esse commemorat *Bajardus ad Clar. qv. 83. n. 33.* ut mulier osculum admittens, si quas habeat aut habitura esset dotes, omnes ipsò factò perdat, & prætereà paternâ maternâqve successione exclusa, omni ejus compendiò & commoditate remaneat, spoliata, idqve incurabiliter, ita, ut nullus pro eâ possit intercedere, nisi & ipse pœnas dare velit.

§. 33.

Pœna mariti osculantis alienas fœminas.

Sed & maritus, si alienas fœminas osculis contere visus fuerit, æque ut uxor, in se pœnam admittere cogetur arbitriariam: aut certè ab uxore, si illa pari se crimine alligaverit, justam exceptionem metuet, uti vult *Job. à Ripâ in rubric. extr. de judic. num. 26.* secundum regulam *Papiniani in l. 39. ff. solut. matrimon.* paria delicta mutuâ compensatione tolluntur. Idq; eò magis procedet, si maritus concubinam habeat, eamqve recuset dimittere. Tum enim illi ipsi Doctores, qui aliàs dotem mulieri abjudicant, ob osculum impudicum dotem ac matrimonium salvum manere uxori concludunt, prout facit *Curtius Junior in rubr. Cod. de edendo. num. 28. vers. nota tamen.*

§. 34.

Exempla ex antiquitate diversimodè puniti Osculi violenti.

Seqvitur nunc Osculum violentum. Ubi exponendum est, quid per osculum violentum intelligamus. Dicimus autem non modò illud osculum violentum, quod apertâ violentiâ infertur, verùm etiam, quod tacitâ, sollicitatione putâ, blanditiis, promissionibus, mercede &c. Nam & his vim aliquâ tacitè inesse, & actionem in alterâ parte proptereà
reddi

reddi in voluntariam, probavimus §. 19. Quæritur igitur, quâ pœnâ sit afficiendus ille, qui per vim sive tacitam, sive apertam impertivit osculum? In antiquitate reperimus duo maxime contraria exempla. Pisistratus Atheniensium tyrannus hortatus ab uxore, ut ab eò, qui filiam ejus virginem in publicò sibi obviam osculatus erat, capitale supplicium sumeret, respondit; Si eos, qui nos amant, interficimus, quid his faciemus, quibus odiò sumus? *Valer. Maxim. libr. 5. cap. 1.* Sed idem tamen *libr. 6. cap. 1.* de P. Mœniò refert, eum in libertum sibi admodùm gratum, quem nubilis jam ætatis filia suæ osculum dedisse cognoverat, acerbissimè animadvertisse, filiaq; tam tristi exemplò præcepisse, ut non solum virginitatem illibatam, sed etiam oscula ad virum sincera præferret.

§. 35.

Osculum violentum hodiè num capitale?

Hodiè diversissimæ quoque reperiuntur sententiæ. Alii enim violenter osculantem capite, alii mitiori pœnâ plectendum volunt. Qui talem capite puniendum judicarunt, primus forsan exstitit *Bartolus in l. 1. ff. de extraordin. Criminib.* ubi dixit, sollicitatores alienarum nuptiarum, ubi pervenerint ad basia, puniendos esse, ac si flagitium esset perfectum. Argumentatio Bartoli hæc esse videtur: Plus inest in conatu & actu facti, quàm in tractatu & in actu verbi; Ergò etiam ille, magis quàm hic, puniendus est. In crimine stupri autem sollicitatio i. e. tractatus & actus verbi deportatione punitur, *d. l. 1. §. 2. ff. de extraordin. criminib.* ergò conatus sive actus realis, ut h. l. osculatio, severius, putà morte, vindicandus venit. Maximè cum hoc accedat, quod conatus, quamvis effectus non subsequutus sit, in atrocioribus delictis nihilominus puniri dicitur. Sed neque hoc, neque illud stare potest. Non illud, quia nullum aut exiguum, certè quod in pœnis infligendis attendi nequit, discrimen apparet inter actum verbi &



actum rei non proximum, qualem in stupro esse osculum
 mox dicemus. Non hoc, quia proposita regula non ita crasse,
 quasi conatum & effectum æqualis pœna consequatur, à Docto-
 ribus intelligitur, sed quod uterque puniendus quidem, se-
 cundum tamen proportionem veniat, hic gravius, ille extra-
 ordinem & sic remissius. Id quod ad minimum negari non
 debet de actibus facti remotioribus. Quorsum Baldus in l. si
 quis non dicam. s. num. 1. in fin. Cod. de Episc. & Cleric. diferte in
 stupro refert quoque osculum, quemadmodum contra inter-
 proximos ejus actus dicit esse prostrationem in terram. Nec
 quicquam ad Bartoli sententiam facit d. l. s. Cod. de Episc. & Cler.
 ubi non magis in ipsum raptorem, quam in attentatorem
 monialis capitis supplicium statuitur. Quandoquidem re-
 gulariter conatus in raptu non capitis periculum, sed pœ-
 nam extraordinariam, ut inferius annotabitur, incurrit.
 Igitur in allegato textu est casus specialis, propter quem de-
 tur à regulâ exceptio, adeoque illa constitutio promiscuè in
 consequentiam trahenda non est.

§. 36.

Lege aut statuto, etiamsi duro, standum est.

Simile quid reponimus Bossio, qui in tit. de extraordinar. cri-
 minib. num. 30. ad tuendam Bartoli sententiam adducit factum
 Jacobi Trivultii. Is enim cum Regis Gallorum nomine ad-
 ministraret Ducatum Mediolanensem, Gallum quendam,
 quod Susannæ Trivultia rapuisset osculum, securi percussit.
 Quod factum paulò inferius examinabimus, demonstraturi
 etiam in osculo ob circumstantias delictum aggravantes ad
 ultimum aliquandò supplicium deveniri posse. Nobis hoc
 loco sermo est de pœna quæ in osculis obtineat regulariter,
 item de illis locis, ubi nullò statuto aut lege mortis pœna san-
 cita est. Quicquid enim lex sanciverit, etsi perquam durum
 sit, tamen illud oportet servari, arg. l. 12. §. 1. ff. qui & à quib.
 manumiss.

manumiss. & in specie statutum, quod pro osculō violentō pœnam mortis imponit, observandum vult *Farinac. questio. Criminal. 143. num. 171.* Qvalis Anno 1562. per regnum Neapolitanum edita est pragmatica sanctio, quā illi, qui per vim oscula præripiunt ultimō suppliciō jubentur puniri, referente *Cæsar. Ursillo in addition. ad Afflicti decis. 276. num. 2.* Et eam pœnam in quodam de Terrā Sanzæ adhibitam fuisse testatur *Vincent. de Franchis decis. 333. num. 6.* Quamquam *Job. Baptist. Bajardus in addit. ad Clar. quest. 83. num. 33.* dicat, se non vidisse illam sanctionem in practicā servari.

§. 37.

Extrā legem aut statutum regulariter capitis supplicium non meretur.

At verō ubi nulla adest constitutio pœnam mortis violentis osculatoribus determinans, nos communem Dd. opinionem, (de quā testatur in hōc casu *Caball. in resolution. criminal. cas. 96. num. 5.*) secuti pronunciamus, oscula per vim illata regulariter mortem non mereri, sed esse punienda arbitrariē. Firmissimum fundamentum nobis præbet primò *l. 1. pr. ff. de extraordin. criminib.* ubi sic legimus: Solicitatores propter voluntatem perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur. Hunc enim textum *glossa* rectissimè interpretatur hōc modō, quando perventum est ad colloquium vel basia. Deindè *d. l. 1. §. 2.* ibi: qui aliquid impudiciæ gratiā fecerit, imperfectō flagitiō in insulam deportatur. Textus generaliter loquitur de quōvis factō impudiciæ causā, quod ipsum stuprum antecedit, & id, flagitiō imperfectō, solā deportatione vindicandum statuit. Ergō nec severiori pœnā vindicandum est osculum impudicum, copulā non subsecutā, præsertim cum actus remotior sit osculatio, prout in specie de eā hoc asserit in declaratione allegati textus *Baldus in l. si quis non dicam. 5. C. de episcop. & cleric.* Neque est, ut quis excipere velit, allegatos

duos textus agere de illis, qui persuasionibus, blanditiis munusculis sollicitant, & sic ad eos, qui adhibitâ violentiâ aliquid tentaverint, mitigationem pœnæ non pertinere. Jam supra enim in antecessum monuimus, nullum hic discrimen inter vim apertam & tacitam attendi.

§. 38.

Id novis rationibus confirmatur.

Et quidni osculum eximendum esset mortis supplicio, cum priusquàm hoc dicent violento stupratori rigorosè plerique omnes Doctores exigant, ut stuprum sit consummatum, ita ut non contenti sint, etiamsi quis ad actum proximum pervenerit, v. g. si in mulierem dejectam ac relectam incubuerit, opus tamen absolvere vel non valuerit, vel impeditus quocunq; modò fuerit. *Magnif. Dn. Carpzov. in pract. criminal. part. 2. quest. 75. num. 56. seq.* Similiter adhuc valdè in dubium vocatur, an raptor vitâ privandus sit, nisi libidinem suam cum abductâ muliere expleverit, prout videre est apud *Farinac. quest. Criminal. 145. §. Conatus.* Quòd si in crimine raptus, quòd majus est ipsò adulterio secundum Dd. in hanc rem allegatos à *Farinac. d. quest. 145. num. 1.* certè pessimum juxta *l. 1. pr. Cod. de rapt. virgin.* si, inquam, pœna mortis adhuc dubia est, nisi ipsa quoque mulieris vitatio insegura fuerit quantò magis ac tutius eum, qui per osculum vim mulieri parat, liberum à capitis supplicio asseramus. Quid multa? Jam diu est, quòd generali consuetudine introductum fuit, conatum in quovis delictò mitius puniri, quàm ipsum effectum, de quâ testantes Dd. vide in magnâ copiâ apud *Jul. Clarum in pract. Criminal. quest. 92. num. 1.* qui eam non indigere probatione ait *Baldus in l. si fugitivi. 3. num. 3. in fin. C. de serv. fugitiv.* Id quòd in nostris terris indubitatum facit sæpè laudatus *Dn. Carpzov. in pract. Crimin. p. 1. quest. 17. num. 13. seq.* Ubi talem ponit regulam, quòd conatus, quantumvis ad actum proximum pervenerit, nunquam

quam

quam tamen ordinariâ cujusvis delicti pœnâ multari debeat. Apud quam etiam *num. 15.* relati Practici juris Saxonici ajunt, licet lex civilis conatum puniat, tamen Jus Saxonicum tantummodò in eventum animadvertere.

§. 39.

Variæ pœnæ in violentos osculatores statutæ.

Quæ cum ita sint, patet, temerè in castigandis osculis ad diminutionem vitæ procedendum non esse. Interim tamen ad compescendam petulantiam ac lasciviam alias sat graves pœnas fuisse adhibitas invenimus. Ex allegatâ *l. 1. §. 2. ff. de extr. criminib.* intelligimus, in casib9 attentatæ pudicitia, & sic proculdubio etiam in luxuriosò osculò apud Romanos in usu fuisse pœnam deportationis. Quæ hodiè cum ab usu recesserit meritò judicis arbitriò relinquitur, ut modò corporalem modò non corporalem pro facti ac personarum qualitatibus possit deligere. Multis in locis in vicem deportationis surrogata est perpetua damnatio ad triremes, prout de eò quo ad præsentem casum testatur *Ludov. Pegvera in decis. Criminal. 7. num. 15.* & idem in osculò admittit *Ægid. Bosius in t. de extraordin. criminib. n. 30.* & multos, qui per viam de osculati fuissent, vidisse se ad triremes transmitti ait *Prosp. Farinac. quest. Criminal. 143. num. 163.* Idem tradit *Caball. in resolut. Criminal. cas. 96.* Sed & modò laudatus *Pegvera d. l.* refert in Regiò Consiliò Anno 1583. decretum esse contra quendam agricolam, quòd puellam invitam & acclamantem fuisset amplexus & exoscultatus, bannum à principatu Catalonia in quinquennium. Et *Matth. de Afflictis in decis. 276.* scribit, cum ipse & Commissarii in regnò Neapoleos consulti essent à Rege quæ pœna ab eò, qui in plateâ publica extra Neapolim virginem atate maturâ osculò per vim lacesierat, de jure sumi posset, responsum esse, ut & per 30. milliaria relegaretur à locò delicti, & pro modò facultatum pecuniâ mulctaretur. In statu Ecclesiasticò

per

per certam constitutionem Marchiæ *in libr. 4. cap. 72.* dispositum esse tradit *Bajard. ad Clar. quest. 83. num. 33.* ut de osculantes mulierem fustigatione & amissione bonorum aliisque modis puniatur, atque imprimis, ne matrimonium inter osculantes (non aliter atque inter adulteros) contrahi queat. Denique repetendum hic est, quod in §. 22. diximus, mulierem osculis se prostituentem legatum à marito relictum amittere. Quod etiam ad donationem à marito factam extendit *Menoch. libr. 3. presumption. 23. num. 12. idq; arg. l. 24. Cod. de donationib. inter vir. & uxor. ibi:* quia donatio pudicitie præmio cesfit.

§. 40.

Causæ mitigantes poenam osculi violenti.

Exposuimus, quæ poena regulariter impudicos osculatores maneat. Subjiciemus nunc casus aliquot notabiliores, in quibus poena osculi vel remittitur, vel mitigatur. Primus est, quando eum, qui osculatus est aut osculum passus, poenitentia subit, ita ut post osculum nihil amplius adversus pudicitiam tentet, sed sponte cogitationem susceptæ libidinis omittat. Poenitentia siquidem peccantes justò absolvit *suffragiò, arg. l. 19. pr. ff. ad L. Cornel. de fals.* Hinc ait *B. Codecb. in repetit. rubr. de judic. num. 48.* mulierem non debere puniri ex osculò luxuriosò, vel ex alio actu propinquo ad adulterium, copulâ propter ejus poenitentiam non securâ. Sed secus esse si timore vel impedimentò superveniente rem non perfecerit, tunc enim rectè ait poenam extraordinariam non cessare. Alter est, si quis mulierem osculatus sit præ nimio amore. Nihil enim furore amoris vehementius est, ait Imperator in *Nov. 74. cap. 4. in pr.* Cum igitur furor ceteriq; vehementiores animi perturbationes delictum elevent, indulgendum quoque aliquid est amori cujus impetum ac turbationem, utpote aliis omnibus vehementiorem, intra debitos limites carcerare potius philosophorum esse quam mulierum, *Baldus* putat,

putat, & sic osculum ex amore nimio datum, ad minimum mitius, quam regulariter fit, puniendum, *Farinac. quest. Criminal. 97. num. 84. quest. 143. num. 170.* & ita iudicatum refert in Curia Neapolitana in causa cujusdam Clerici *Johan. Aloysius Riccius in part. 3. decis. 155.* Et ex hoc altero fuit tertius casus, quando quis puellam, cum qua tractatus matrimonii praesit, exosculetur in pignus quasi futuri matrimonii. Talem ab omni poena immunem, praesertim postquam secutum fuit matrimonium, iudicatum refert *Thom. Grammaticus in consil. 48. n. 4. 5.* Quod si quis hoc fecit, ut mulierem quidem in uxorem duceret, sed contra ejus parentum aut consanguineorum voluntatem, tunc notatum a se scribit *Caball. in resolut. criminal. cas. 96. num. 1. seq.* ejusmodi osculatores pro facti & personarum qualitatibus, aliquando in Exilium aut confinium ad tempus, aliquando in poenam pecuniariae mulieri applicandam, aliquando etiam in triremes esse damnatos. Ebrietas quoque inter causas, quae delictum, licet non in totum, excusent, tamen extenuent, refertur a *Baldò in l. dat. a oper. a. 11. Cod. de his, qui accus. non poss. n. 6.* Et requiritur, non ut quis ita sit inebriatus, ut quid agat, ignoret, sed sufficit eum esse leviter ebrium, & quod dicitur, propter vinum tantummodo exhilaratum, *Tiraquell. de poen. temperand. caus. 6. num. 11. 12.* Hoc igitur eo magis in specie quoad oscula debet procedere, quanto difficilius ab iis nos animo exhilaratos continere possumus,

§. 41.

Causae augentes poenam Osculi violenti.

Sed & in Osculis poena certis ex causis intendi potest, ex quibus hoc loco unam retulisse sufficiat, personarum qualitatem. Nam statim atque ex osculo magna in Dominum vel Principem oritur injuria, poena communem modum excedere & juris & moris est. Et inde est, quod communiter Feudistae concludunt, Vasallum ob turpe osculum uxori domini illatum privari posse beneficio, tum propter *c. 2. §. porro 2. F. quae fuer. prim. caus. benef. amitt.* ibi: vel alias graves vel in-

F

honestas

honestas injurias intulerit, tum propter *c. 1. princip. 1. F. quib. mod. feud. amit.* ibi: aut cum eâ turpiter luferit. Hæc enim utrobique verba generalia volunt satis esse apta, ut contineant injuriã Domino ex osculô illatam. Limitatum hoc cupiunt Canonistæ quidã in Vasallô Clericô, quòd talis osculans mulierem non libidinem, sed benedictionem intendere præsumatur. Quam limitationem non imeritò mirabilem appellat *Hahn. dissertat. feud. 8. thes. 10. lit. b.* Nimirum jam supra §. 27. monuimus, hodiè Clericis ob frequentatam nequitiam tantum in fidei non tribui, & dicente *Schradero de feud. part. 9. cap. 2. num. 87.* Clericus solus cum muliere solâ in angulô non præsumitur esse angelus, aut orare pater noster. Cæterum ex hæc ratione potest etiam defendi factum Trivultii, cujus supra §. 36. mentionem injecimus, securi subjicientis Gallum, qui osculatus erat per vim in viã publicã mulierem. Is enim, quoniam ab istã muliere procul dubiò propinquã cognatione (nam vocabatur Susanna Trivulcia) attingebatur, adeoq; ex hoc impudicò factò atrocem senserat injuriam, putandus est in tales temerarios, quos nulla Principis sui reverentia tangit, voluisse gravissimum exemplum statuere, præsertim cum jure militari, cujus rigor semper solet esse intensior, quàm communis & civilis, in osculatorem animadvertisse videatur. Nec dubium est, quin hodiè homo plebejus, qui Principis uxorem aut filias, aut alias cognatas fœminas impudicis inquinare osculis aude-
ret, crudele petulantiaæ suæ daret supplicium.

§. 42.

Maximè severa Constitutio in Clericum osculatorem.

Interdum etiam in intendendã poenã ipsius osculantis qualitas ac conditio attenditur. Sic in Monachum & Clericum, qui turpe adolescentulis osculum aliamvè turpitudinem impresserit, singulari severitate decretum à Fructuosô Episcopô extate prodit *Petr. Georg. Tholos. in Synt. Jur. univ. libr. 36. cap. 10. num. ult.* Decreti istius verba digna visa sunt, quæ adscribantur: Monachus aut Clericus parvulorum aut adolescentum consecrator, qui vel osculô, vel quâlibet occasione turpi deprehensus est, publicè verberetur, coronam capitis, quam gestat, amittat, decalvatusq;ve turpiter opprobrio pateat, omniumq;ve sputamentis oblitus in facie probra suscipiat, vinculisq;ve arctetur ferreis, carce-
r ali

rali sex mensibus angustia maceretur, & triduanâ per hebdomadas singulas refectione panis exigui hordeacei vespertinô tempore suble-
vetur. Post deindè expletis his mensibus aliis sex mensibus succeden-
tibus, sub senioris spiritualis custodiâ segregatâ in curticulâ degens,
operi manuum & orationi continuò sit intentus, vigiliis & fletibus
& humilitate pœnitentiæ lamenta percipiat. Et sub custodiâ & solici-
tudine duorum spiritualium fratrum in monasteriô ambulet, nullâ
privatâ locutione vel conciliô deinceps juvenibus conjungendus.
Satis nunc de Osculis Amoris. Restant

IV. OSCULA MORIS AC SOLENNITATIS.

§. 43.

Quid sit Osculum moris & Solemnitatis, quæve
ejus species.

Oscula MORIS ac SOLENNITATIS illa voco, quæ vel in vitâ
communi ex receptâ consuetudine, vel in publicis ac solennibus acti-
bus ex institutô quôdam adhiberi solent, plerumque in certâ alicujus
rei signum ac symbolum. Numeramus autem talium Osculorum sex
potissimùm species. Primò enim sunt Oscula, quibus occurrentes mu-
tuò inter se perfunguntur. Secundò, quæ Christiani in Ecclesiis inter
se communicant. Tertiò, quibus se mutuò complectuntur sponsus &
sponsa. Quartò, quæ olim Senatus, hodiè Proceres in Imperiô Impe-
ratori impertiunt. Quintò, quæ Vasalli dare tenentur Dominis. Et
sextò denique, quæ una cum aliis ritibus in Promotionibus Doctorali-
bus distribuuntur.

§. 44.

Oscula in Salutationibus.

Veteres olim populos eosque moratiores plerosque in sa-
lutationibus adhibuisse mutuas osculationes, rerum memoriæ pro-
dunt. Ex *Herodot. lib. 1. histor.* apud Persas hoc genus officii in usu fuisse
docemur, certò tamen discrimine adhibitò, ita ut si pares extiterint
occurrentes, reciprocis amplexibus & osculationibus perfuncti fuerint;
si paulò humilior obvius fieret, honoratoris genu exceperit Osculò;
si longè inferior, prostratus adoraverit. Omissis Græcis, Hebræis,
Moscovitis, Batavis, Gallis, apud quos vel olim viguit, vel hodiè

F 2

etiam-

etiamnum viget consuetudo osculandi obvios & advenientes, pauca de Romanorum moribus notanda veniunt. Namq; & inter eos usu obtinuerat, ut unus alteri occurrens exhiberet osculum. Sed cum istâ consuetudine ad scedisimas libidines abuterentur, præsertim in obviis pueris, Tiberius propter hanc turpitudinis suspicionem videtur edictum proposuisse, quod apud *Sveton. cap. 34.* de prohibitis quotidianis osculis refertur. Quod tamen edictum parum valuisse, argumento est frequens in sequentibus temporibus osculorum mentio. At verò specialis planè causa sub erat illis osculis, quæ mulieres Romæ à cognatis accipiebant. Hæc enim consuetudo tum introducta est, postquam esset sceminis usu temeti seu vini interdictum, eâ fini, ut osculô applicatô exploratum fieret, num contra interdictum ab ipsis factum esset, *Plutarch. in question. Roman. Plin. libr. 14. cap. 13. Agell. libr. 10. Noct. Atticar. cap. 23.* Ubi notabile est, quod *Non. Marcell. ex l. 4. Cic. de repub. tradit,* si qua mulier fuisset famosa, eam à cognatione osculum tulisse nullum. Quemadmodum de jure Canonico incestuosi, qui in scelere perseverant, osculis quoq; & salutationibus privari jubentur in *can. ult. caus. 35. quest. 8.* Sed & simile quid Romanorum instituto refert *Tertullian. de veteribus Christianis,* quòd usi fuerint mutuis osculis eâ quoque fini, ut hæc ratione agnoscerentur jejunantes.

§. 45.

Osculum Pacis in Ecclesiâ.

Antiquitùs in primitivâ Ecclesiâ moris erat, ut Christiani sese invicem in publicis Liturgiis oscularentur, dicentes Pax tibi frater! Et hoc quidem cum ante Sacram Synaxin, ut esset communicaturis reconciliationis & rancoris omnis remissi, puræque charitatis symbolum, teste *Cyrillô Catech. 5. Mystagogic.* ubi etiam interponit causam, quare Oscula ori fuerint impressa, quemadmodum scilicet osculemur januas, per quas ingrediamur in templa, sic etiam ora nostra, per quæ ingreditur corpus Christi, mutuâ osculatione nos dignari. Tum sub finem publicæ Liturgiæ, ut esset signum communicatæ pacis, docente *Justinô Apolog. 2. ferè in fin.* Quale osculum etiamnum in quibusdam Ecclesiis ante sacram synaxin usurpare Canonicos, tradit *Cornel. à Lapide Comment. in 2. Corinth. XIII. 12.* Sic osculum tum temporis sine scandalô & sine superstitione frequentabatur, laudatum, imò imperatum ab Apostolô *Rom. XVI. 16. 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. XIII. 12. 1. Thess. V. 26. 1. Petr.*

1. Petr. V. 14. Scandalum primis adhuc temporibus irrepsit. Viri enim licet essent locis à fœminis distincti, sese furtim illis immiscere easdemque, utpote vicinas & proximas, deosculari tentabant. Hinc factum est, ut in locum hujus osculi, quod ori imprimebatur, succedere, osculum tabellæ, quam Pacis vocabant, quamq; alter alterit postquam illam osculatus esse, tradebat. Superstitio à Pontificiis accessit, cum ritum osculandi tabellam in circumgestatæ crucis aut sanctarum reliquiarum osculationem, quam Pacificale vocant, de quò jam supra §. 5. mutarent, in Missæ celebratione adhibendam. Pax igitur in Missâ cum Clero pariter & populo communicatur ex Pontificiorum institutò ad hunc modum: Accipit eam Sacerdos ab Eucharistiâ, dum vel corpus Domini, vel sepulchrum, i. e. calicem, vel etiam altare deosculatur. Acceptam dat Diacono aut Subdiacono, infingendò illi osculum & additò votò: Pax tibi! Diaconus à Sacerdote acceptam dat populo, acclamandò: Pax Vobis! & circumferendò, sive crucis imaginem, sive sanctarum reliquiarum particulam, quam dum singuli deosculantur, participes fieri creduntur pacis communicatæ. Videatur de hoc Pacis osculò *Gvil. Durandus* (Speculâtor Jctus dictus) l. 4. *ration. divin. offic.* Jo. Stephan. *Durandus de ritib. Eccles. Cathol.* Casalius *de vet. Christ. ritib.* c. 59. *Bellarmin. tom. 3. controvers. l. 2. de Miss. cap. 15.* Corn. à Lapede *in comment. in 2. Corinth. XIII. 12.* §. 46.

Osculum inter Sponsum & Sponsam, & quis illius effectus.

Certum est, Osculum inter Sponsum & Sponsam neque matrimonium contrahere, neque affinitatem parere, *can. 18. caus. 27. quest. 2.* Undè etiam sponsalia de futurò minimè probantur transisse in matrimonium, licet oscula, amplexus, apprehensio manus inter sponsum & sponsam intervenerint, *Mascard. vol. 2. conclus. 983. num. ult.* Quia tamen sponsus per osculum videtur facere initium consummandi nuptias, dum eò ipsò sponsâ frui quodammodo incipit, ideò sponsalia fortiori vinculo firmata & quam proximè ad matrimonium accedere creduntur, *Petr. Gregor. Tholosan. in Syntagm. Jur. univ. libr. 8. cap. 8. num. 21.* Sanè sponsus osculandò luculenter demonstrasse creditur, certissimè subsequutum ire matrimonium, seq; in ejus rei fidem osculum ceu pignus dedisse. Cujus rei effectus etiam non minimus in jure civili est,



idque ex Constitutione Constantini in *l. 16. Cod. de donation. antè nupt.* Nam si sponsus sponsæ aliquid donaverit, & osculum adjunxerit, sive, ante sive post donationem, *Anton. Perez. in dict. tit. Cod. num. 13.* tunc, sponsò mortuò ante consummatas nuptias, dimidiam partem rerum donatione acceptarum sponsa lucratur, altera sponsi heredibus restituitur. Aut si sponsa præmortua, sponsæ heredes dimidiam partem rerum donatione acceptarum lucrantur, dimidiam restituunt sponso superstiti, vel ejus heredibus. Non tamen vice versâ, quod notandum est, hic si sponsa sponso donaverit, & alterutrū horum mori contigerit, tum donatio restituenda est omninò, non attentò, utrum osculum intervenerit, nec ne. Propterea scilicet quia sponsus sponsam in uxorem sibi paciscitur, non sponsa sponsum in maritum, & sic consummatio nuptiarum non est sponsæ, sed pertinet ad sponsum. Neutrum tamen regulariter fieret, ita ut non magis sponsa ejusvè heredes, quàm sponsus donationem sibi factam lucraretur, alterutrò eorum ante nuptias defunctò, *l. 15. Cod. de donationib. antè nupt.* Nisi tanta vis osculo attributa fuisset, ut eò interveniente matrimonium jam ex dimidiâ parte consummatum haberetur. Quid si sponsa osculò interventò & rebus donatione acceptis ante consummationem matrimonii profiteatur religionem? Adhuc apud eam dimidiam manere vel apud monasterium, censet *Corneus volum. 1. Consil. 228.* Quoniam verò diximus, sponsum osculandò nihil aliud facere, quàm certum futuri, quantum in se est, matrimonii dare pignus, quæri potest, an ejus osculum non eum etiam effectum habeat, ut sponsalia, quæ ex parte sponsi sub conditione fuerint contracta, purificet, adeoq; sponsum post datum osculum, non obstante apposita conditione ad matrimonium consummandum cogi queat? Notum est, sponsalia sub conditione contracta per subsequentem copulam purificari, *cap. 6. extr. de condit. apposit.* Sanè hòc in casu osculum copulæ æquiparari, & ita Curiam Neapolitanam judicasse refert *Johan. Aloys. Ricc. part. 1. decis. 195.*

§. 47.

Oscula in Imperatorum inaugurationibus solita.

Non tantum olim, ut Senatus recens creatis Principibus inter cætera Osculis quoq; gratularetur imperiū, fuisse moris apparet ex *Plinii Paneg.* Trajano Imperatori dicto, ibi: Gratum erat cunctis, quòd senatum Osculò exciperes, sicut dimissus osculò fueras; Sed etiamnum hodiè

hodiè in coronatione Regis Romanorum primùm Archiepiscopus, qui coronationis munus obivit, deindè reliqui Proceres Imperatorem suum osculari perhibentur, *Rittershus. in tractat. de Osculis Sect. 2. ex Steidanò.*

§. 48.

Osculum quod Vasallus præbet Domino.

Porro nonnullis in locis inter ceremonias, quibus Vasallus Domino præstat homagium, requiri solet, ut præter manum Vasallus Domino quoque osculum porrigat. Quò ipsò innuitur, quòd cliens patrono non solùm debeat offerre manus auxiliares, sed etiam os fidele, i. e. & quòd tacenda possit tacere, & quòd honori atque existimationi domini non detrahat, sed eam, sicut manus operâ & factis, ita os verbis quoque tueatur. De eiusmodi ritu in specie quoad Galliam testatur *Petr. Gregorius Tholosanus libr. 6. cap. 15. num. 7. in syntagm. jur univers.* Ubi etiam ex Speculatore observat in Galliâ ad osculum non admitti à rege ignobilem Vasallum, licet habeat feudum nobile.

§. 49.

Osculum in Promotione Doctorali.

Denique inter insignia Doctoratus sive inter illas ceremonias & solennes ritus, qui in Promotionibus Doctoralibus adhiberi solent, numeratur quoque osculum à *glossa in cap. 2. de magistr. in Clementijn. in verb. insignia Doctoratus*, ibi: ista insignia sunt cathedra, biretum, item liber, annulus, osculum. Quamquam autem osculum pariter atque annuli traditio & benedictio (nam & hæc intervenire solet) de substantiâ Doctoratus non est, neque ita necessaria ceremonia, quæ non tuto omitti possit, *Addition. ad Gvidon. Pap. quest. 288. de Advocatis & Doctorib.* quia, ut loquitur *Baldus*, mulieres quoque osculantur, annulo desponsantur & benedicuntur, & tamen non Doctorantur. Nihilominus ita comparatum est, ut eiusmodi actum maximoperè deceat atque conveniat. Eò ipsò enim admonemur, ne potestate, quæ in nos confertur, abutamur ad dissolvendam Rempublicam. Sed ut studeamus firmiter retinere concordiam, & quantum in nobis est, pacem habeamus cum omnibus. Quâ de causâ etiam adhuc apud nos in solennibus promotionibus hoc signum pacis singulis Doctorandis à Promotore imprimi videmus.

SOLI DEO GLORIA.

DOlus contractui causam dans, bonæ fidei contractum ipsò jure nullum reddit.

Suitas exheredatione non tollitur.

Non est corrigenda, quæ habetur in editione Florentina, lectio l. 40. ff. de hered. instit.

Contra mentem Ulpiani faciunt, qui jus naturale brutis non nisi per analogiam tribuunt.

Nunc alii advectis capiuntur mercibus: Hortis
Nunc alii: capitur cantibus alter avis.
Te verò, RITZSCHI, delectant Oscula: Laudo!
Oscula cum Sophia jungere perge Tua.
Maestè Tuis studiis! nec non solertius instes;
Astræa en posthac Oscula multa dabit.

Quibus de hoc instituto Politissimo
Domino Respondenti gratulari debuit

PRÆSES.

RITZSCHI Themistæ langvor & decus novum,
Divam osculare, disputaq; fortiter
Et illa felix asserere Oscula & lubens,
Casto alma doctis imbuit quæ nectare.
Præbebit ipsa rursus osculum Tibi
Summos honores (ominor!) quando dabit.

Εσχηδιαζες

L. Fridericus Rappolt, Poës. Prof. Publ.
& Fac. Phil. h. t. DECANUS.

Ad D.N. RESPONDENTEM.

Oscula dat Summi soboles Jovis Inclita Cypris,
Oscula Saturnii dat soror alma Themis,
Si Tibi complexus atqve Oscula Nata Sororqve
Unò deferrent tempore, quod caperes?
Fallor, an Idaliæ spretò blandimina Divæ
Captares avidè basia Juridica?
Nec dubito cum Jure mihi tuus ardor in omni
Cognitus, hic pateant propositaqve Theses,
Prudens' judicium: Certè magè dulcia post-hac
Gustabis Veneris scævnia lata fore.

Romanus Teller.

FINIS.

